MASTER NEGATIVE NUMBER

00-0203.17

MICROFILMED 2002
THE CLASSICS LIBRARY
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN
URBANA, IL 61801

AS PART OF THE
DITTENBERGER-VAHLEN
CIC 6 PRESERVATION GRANT
PROJECT
Funded by the
National Endowment for the
Humanities

Reproduction may not be made without
permission from The Classics Library,
University of Illinois at Urbana-Champaign.

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States (Title 17, United States Code) governs the making of the photocopies or other reproductions of copyrighted material including foreign works under certain conditions. In addition, the United States extends protection to foreign works by means of various international conventions, bilateral agreements, and proclamations.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for purposes in excess of "fair use," that use may be liable for copyright infringement.

The institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgment, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: Benedict, Traugott Friedrich.

TITLE: Ad quaedam Livii loca observationes.

PLACE: Torgaviae

DATE: 1799

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-0203.17

Benedict, Traugott Friedrich.
Ad quaedam Livii loca observationes / Traugott Fredericus Benedict.
Torgaviae : In Officina Kurziana, 1799.
23 p. ; 22 cm.

1. Livy. I. Title.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size:	35mm microfilm
Reduction Ratio:	11:1
Image Placement:	IA (IIA) IB IIB
Date filming began:	8-26-02
Camera operator:	ARC

PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC



PRECISION℠ RESOLUTION TARGETS

A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

AD

QVAEDAM LIVII LOCA

OBSERVATIONES

QVIBVS

ORATIONES XII

IN LYCEO TORGAVIENSI

HORA III POMERIDIANA

P. XVIII ET XXII MARTII CIↃIↃCCLXXXXVIII

A

PATRONIS ET FAVTORIBVS

BENIVOLE AVDIENDAS

INDICIT

TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT

AA. LL. MAGISTER ET LYCEI RECTOR.

TORGAVIAE,
IN OFFICINA KVRZIANA

In Liuii lib. I, cap. XXVIII graue ſupplicium narratur, a Tullo Hoſtilio, Romanorum rege, propter nefariam proditionem de Metto Fuffetio, Albanorum duce, ſumtum. Cum enim Mettus Fuffetius, cui, teſte Liuio, *non plus animi quam fidei erat*, contra Fidenatium legionem collocatus non in proelio pugnaret, ſed Romanorum latera nudando ad montes ſuccederet, Tullus Hoſtilius in re trepida tam clara voce, vt hoſtes exaudirent, *ſuo iuſſu circumduci Albanum exercitum* adfirmauit, *vt Fidenatium nuda terga invadant*, et callida ſimulatione cum hoſtes terruit, tum labantem iam ſuorum auxit animum. Victor tandem ex proelio tam periculoſo discedens, cum ad concionem vocari vtrumque exercitum iuſſiſſet, inter alia haec fatur:

„*Nam ne vos falſa opinio teneat, iniuſſu meo Albani ſub-*
„*iere ad montes: nec imperium illud meum, ſed conſilium*
„*et imperii ſimulatio fuit: vt nec, vobis ignorantibus de-*
„*ſeri vos, auerteretur a certamine animus; et boſtibus,*
„*circumueniri ſe a tergo ratis, terror ac fuga inliceretur.*

In quo loco inprimis haec verba: *ſed conſilium et imperii ſimulatio fuit*, quandam mihi dubitationem moverunt. Nam in antecedenti capite Liuius de Metto Fuffetio diſerte ſcripſerat:

Consilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires. Ergo illa in montes secessio non Tulli sed Metti consilio erat facta, Quid? si in nostro loco legamus: *sed consilii et imperii simulatio fuit.* Ita enim omnia facilius cohaerent neque nimis artificiosa opus erit explicatione. Codicum tamen deest consensus.

In Liuii lib. II. cap. LVIII ita incipit:

„*Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt: nu-*
„*mero etiam addito tres, perinde ac duo ante fuerint, Piso*
„*auctor est. Nominat quoque tribunos, C. Sicinium, L.*
„*Numitorium, M. Duilium, Sp. Icilium, L. Maecilium.*

Iure interpretes illud: *numero etiam addito tres* — offendit. Sed omnes fere codices legunt: *addito*, et ita aduersantur editionibus vulgatis, quae: *additos*, exhibent. Vulgatam lectionem praeter Strothium quoque Scheller V. Cel. in Obseruatt. in priscos scriptt. pag. 281 defendit, neque eidem ipse repugnarem, si iusta Codd. auctoritate niteretur. Iure igitur Iac. Gronouius praetulit lectionem: *addito*. Sed illa admissa omnis difficultas in verbo: *tres*, latere videtur. Nam propter sequentia: *Piso auctor est*, ex antecedentibus intelligi deberet: *creatos esse*. Sicut etiam alibi haec verba iunguntur, vt: lib. X, 37: *Postumium, auctor est Claudius, triumphasse*, et idem nostro loco arguit subiunctiuus: *fuerint*, qui adiicitur. Miror, nondum interpretibus in mentem venisse emendationem horum verborum: *numero etiam addito trium.* Quam si receperis, minus dura est verborum ex antecedentibus intellectorum repetitio: *creatos esse.* Facile autem lectionem: *trium*, quam veram habeo, in alienam: *tres*, mutari potuisse, ex illa numerorum scribendorum ratione, quam librarii olim sequebantur, apparet. Cum enim exscripsissent: *numero etiam addito III* — nota numeri male intellecta, inde falsa lectio: *tres*, est orta. Ceterum ille Piso, annalium

nalium ſcriptor, cuius etiam alibi Liuius meminit, haud dubie unus ex iis erat, qui initio tantum duo tribunos plebis in ſacro monte creatos eſſe putarent, cum contra alii quam plurimi ſtatim initio numerum quinarium inter eos obtinuiſſe adfirment. Vid. Liv. lib. II, cap. 33.

In Liuii lib. III, cap. XXXVII ubi de iniuſta decemuirorum dominatione agitur, inter alia etiam haec verba leguntur:

> „*Quum interim mentio comitiorum nulla fieri, et decem-*
> „*uiri, qui primo tribunicios homines, quia id populare ha-*
> „*bebatur, circum ſe oſtentauerant plebi, patriciis iuuenibus*
> „*ſepſerant latera.*

Antea narrauerat Liuius, legibus XII tabularum iam collectis, primores patrum, decemuirorum potentiae ſimul cum plebe pertaeſos, comitia conſulibus creandis mox edicenda exſpectaſſe, plebem vero id modo agitaſſe, quonam modo tribuniciam poteſtatem repararet. Statim igitur noſtro loco indicare pergit, neque tamen comitia eſſe indicta, neque tribunorum plebis rationem amplius a decemuiris habitam, cum iam pro tribuniciis hominibus, quos antea in comitatu ſuo habuerant, patricii iuuenes eorum latera cingerent. In illis verbis autem omnia melius cohaerebunt, ſi emendamus: *Quum interim mentio comitiorum nulla fieret, decemuiri, qui* — Nam primo conſtat, non particulam: *quum* cum infinitiuo iungi ſolere, ſi reliqua oratio, quae cum ea cohaeret, ſit finita, ſed ſi plures iam infinitiui anteceſſerint; cuius quidem verborum conſtructionis plura dedit exempla I. Fr. Gronovius in notis ad Liu. IV, 51. Porro illud: *et decemuiri* loco plane alieno eſt poſitum, quia, ſi vel: *et* explicatur particula: *etiam*, tamen in antecedentibus quoque non aliis hominibus, quam iisdem decemuiris, comitiorum neglectio erat tribuenda. Huc accedit, facile eſſe intellectu, unde illud

ineptum: *fieri et* — fluxerit, quia vltima ſyllaba verbi: *fieret*, eſt male duplicata, et priori loco tantum ſcribendi nota exprimebatur, ex qua, qui eam non ſtatim intelligebant, literam: *i* adfinxerunt. Probabilior denique exiſtit haec coniectura, quia etiam quidam Codd. vere ita legunt: *fieret*, *decemuiri* — alii vero voce ſuperflua: *fieret et decemuiri* — unus *fieri et decemuiri* —

In Liuii lib. III, cap. L occurrit locus, cuius emendationem ingenio Io. Fr. Gronouii potiſſimum debemus, qui, ſicut ſatis conſtat, in Liuio recenſendo ſaepe ſolo ingenii acumine facem praetulit huius ſcriptoris interpretibus. Quamquam igitur ſummae huius interpretis laudi nihil detractum velim, qui certe, ſi quis alius, omnem ſcribendi et ſentiendi rationem, in Liuio obuiam, optime intellexit: non ſemper tamen, quod ipſe vir modeſtus interdum faſſus eſt, ab omni in iudicando errore ſibi cauēre potuit; id, quod ei in noſtro etiam loco accidiſſe videtur. Ne autem iniquus viri ſummi obtrectator exiſtam, neue dolo malo liberum Liuii lectoribus iudicium praecidere videar, totum locum, ſicut in Codicibus fere omnibus legitur, prius laudare placet:

„*Haec Virginio vociferanti ſucclamabat multitudo, nec il-*
„*lius dolori, nec ſuae libertati ſe defuturos. Et immixti*
„*turbae militum togati, quum eadem illa querendo, docen-*
„*doque, quanto viſa quam audita indigniora potuerint vi-*
„*deri: ſimul profligatam iam rem nunciando Romae eſſe,*
„*inſecutosque, qui Appium prope interemtum in exilium*
„*abiiſſe dicerent; perpulerunt, ut ad arma conclamaretur,*
„*vellerentque ſigna et Romam proficiſcerentur.* —“

Narrat igitur Liuius in his verbis, quantas turbas in caſtris Romanorum, in Algido poſitis, Virginii aduentus excitaverit, qui cultro

cultro lanii arrepto propter nefandam Appii decemuiri libidinem filiae pectus transfixerat. Nam milites non ſolum dolenti Virginio auxilium ſe laturos pronuntiſerunt, ſed aliorum quoque togatorum, qui Virginium Roma fugientem ſecuti erant, narrationibus partim veris partim fictis ita ad iram concitati ſunt, vt ſtatim Romam, caſtris relictis, proficiſcerentur. Gronouius iam accurate adnotauit, particulas: *quum*, et: *ſimul* in verbis: *quum eadem illa querendo* — et: *ſimul profligatam iam rem nunciando* — ita, vt particulae: *et, et*, ſiue: *cum, tum* coniungi ſolent, cohaerere. Sed ſimul pro illo: *inſecutosque* emendandum cenſet: *inſecutique*, quia ita duplex nunciorum genus, qui praeter Virginium in caſtris aduenerint, *et togati militum turbae immixti — et inſecuti* laudentur. Credibile enim eſſe, illos togatos ita properaſſe, vt ſerius exeuntes adſequi priores non poſſent. Quamquam igitur vir modeſtiſſimus hanc coniecturam, quia unius tantum codicis auctoritate adiuuabatur, nondum in contextum receperat, ita tamen aliis Liuii interpretibus, Clerico et Drakenborchio, ea placuit, vt tanquam certiſſimam admitterent emendationem. Quod ſane multis mirum videbitur, qui ſciant, Drakenborchium cautioribus adnumerandum eſſe interpretibus, qui, niſi ſenſus verborum plane ſit corruptus, a Codicum plurimorum lectione ne latum quidem vnguem recedere conetur. Mihi vero ita perſuaſum eſt de lectionis: *inſecutosque* veritate, vt adeo, ſi illa Codicum plurimorum auctoritate deſtituereturhanc ſaltem coniecturae loco quam maxime commendandam cenſerem. Nam in antecedentibus Liuii verbis tantum duplex hominum adventus in Romanorum caſtris, nempe Virginii et togatorum, qui magno numero eum ſecuti erant, indicabatur; quare etiam maioris diſtinctionis nota poſt verba: *ſe defuturos* tollenda eſt, quae primam interpretum errori cauſam praebuiſſe videtur. Porro illi togatorum militibus immixtorum ſermones,

quo

quo maiori circumstantium attentione erant excepti, eo vehementius rem Romae actam augebant et a veris narrationibus ad falsa effingenda progrediebantur, vt primo eadem illa quererentur, porro docerent, haec visa auditis indigniora fuisse, deinde nunciarent, rem iam Romae profligatam esse, denique insecutos esse adfirmarent, qui Appium prope interemtum in exilium abisse dicerent. Cum enim haec vltima narratio de Appio prope interemto et in exilium misso esset falsa et pro rumore tantum spargeretur, quia Appius sedato iam tumultu demum Romae in ius vocatus est et in carcerem coniectus: proprie nemo in castris aderat, qui Appium prope interemtum et in exilium abeuntem se vidisse diceret, sed togati tantum, auribus tam arrectis auditi, esse adeo insecutos, qui haec dicerent, effingebant. Quae quidem falsa narrantium consuetudo etiam nunc inter nos satis est nota, vt rumores incertis tantum auctoribus spargant et ita commenti excogitati poenas se facilius effugere posse arbitrentur.

In Liuii lib. IV, cap. XLVI ubi narratur, Q. Seruilium Priscum, propter rem contra Lauicanos et Aequos male gestam, a Romanis dictatorem esse dictum, inter alia ad commendationem illius ducis haec eius descriptio occurrit:

„*vir, cuius prouidentiam in republica quum multis aliis*
„*tempestatibus ante experta ciuitas erat, tum euentu eius*
„*belli, quod uni certamen tribunorum suspectum ante rem*
„*male gestam fuerat* —

In quibus verbis illud: *suspectum — fuerat* mihi displicet. Suspecta autem dicere solemus, quae nobis nondum satis aperta siue adhuc futura esse videntur. Certamina autem tribunorum militum, quae iam in urbe cupiditate imperii fuerant incensa et multo impensius in castris continuabantur, nemini ignota erant. Quare etiam Q. Seruilio non facile suspecta videri potuerunt.

Forte

Forte igitur Liuius scripsit: *suspectam ante rem male gestam fecerat.* Quae emendatio cum iis accurate consentit quae antea in hoc capite tradebantur: *Dicitur Q. Seruilius, aetate et usu doctus, precatus ab Diis immortalibus, ne discordia tribunorum damnosior Reipublicae esset, quam ad Veios fuisset: et velut haud dubia clade imminente, instituisse filio, vt milites scriberet et arma pararet.* Omnis igitur Seruilii suspicio rem mox in bello gerendam spectabat. Verba autem: *fecit*, et: *fuit*, varie flexa, a librariis commutari solere, multis exemplis Drakenborchius in notis ad Liuii lib. XL, cap. 50 § 5 docuit. Vnus Codex nostro loco etiam pro: *suspectam* legit: *inspectam.*

In Liuii lib. V, cap. LII adhuc continuatur oratio Camilli ad populi concionem habita, vt iis migrationem Roma inde in Veiorum urbem suscipiendam disuaderet; in qua etiam haec verba occurrunt:

„*Hos omnes Deos, publicos priuatosque, Quirites, deser-*
„*turi estis? Quam par vestrum factum est, quod in obsidione*
„*nuper in egregio adolescente C. Fabio, non minore hostium*
„*admiratione quam vestra, conspectum est* —

In verbis: *quam par vestrum factum est* — Fr. Gronouius ingeniose suadet, vt pro illo: *vestrum*, legatur: *vestro.* Drakenborchius sine Codicum consensu eam non recipere audet, et ad notam in libr. XXIII cap. 15 § 4 a se factam lectores remittit, vbi exempla ex multis locis congesta sunt, in quibus saepe Liuius pronomen: *ille*, etiam ante relatiuum: *qui*, omiserat. Deinde tamen suam quoque coniecturam adiunxit, vt legatur: *Quam par vestrum factum ei est* — Sed si quid video, illa emendatio a Gronouio proposita certe est elegantior, cui meam simul coniecturam adiicere liceat, vt in primis verbis legatur: *quam impar vestro factum est* — Nam futura Deorum patriorum ne-

glectio, ſi Romam reliquiſſent, illi opponitur religioni, quam Fabius vel in hoſtium conſpectu exercuerat. Me vel non monente omnes intelligent, quam facile prior ſyllaba vocabuli: *impar*, ab vltima litera antecedentis particulae: *quam* interciperetur.

In Liuii lib. VI, cap. XLI, continuatur oratio Appii Claudii Craſſi, propter tribunorum plebis turbas tunc temporis motas habita. Sed ſtatim ſub initium huius capitis verba:

„*Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quae-*
„*runt, et ita maxima ſunt adepturi, vt nihil ne pro mi-*
„*nimis quidem debeant* —

variis interpretum emendationibus occaſionem dederunt. Taxat quidem Claudius in his verbis tribunorum plebis ſuperbiam, qua poſtulabant, vt ſemper alterum Conſulum ex plebe creari neceſſe ſit. Itaque conſulatus dignitas illis: *maxima ſunt adepturi* indicatur, ſed maior difficultas de interpretatione verborum: *vt nihil ne pro minimis quidem debeant* — oritur. Alii igitur ea retinenda et varie explicanda cenſuerunt, alii vero meliorem excogitarunt lectionem, quamuis Codices conſtanter vulgatam confirment. Coetierius quidem, vir doctus, qui retinet vulgatam, ita eam explicauit: Ita accepturi ſunt conſulatum, vt pro tanto honore prorſus nihil debituri ſint, ne tantum quidem, quantum pro re minima et parui pretii. Sed talem interpretationem verba Liuii non admittere videntur, qui tunc haud dubie ſcripſiſſet: *vt ne tantum quidem, quantum pro minimis debeant.* Clericus, qui etiam vulgatam defendit, verba: *ne pro minimis quidem* de plebeiis infimae ſortis et conditionis explicat; quaſi dictum eſſet: ne pro minimis quidem plebeiorum, qui conſulatum adepturi erant. Illuderet igitur Claudius in his verbis tribunorum rogationem, qua viros maxime indignos in

locum

locum virorum ſummorum et ampliſſimorum electuri eſſent. Cui tamen explicationi ſatis ingenioſae vocabulum: *maxima*, quod anteceſſit, obſtare uidetur. Nam poſtulat, vt ei: *minima*, non: *minimos* opponas. Mihi quidem, ſi verbis vulgatae lectionis ſtandum eſſet, neceſſarium videbatur, vt illud: *ne pro minimis quidem*, explicaretur: ne pro re quidem, quam minimam haberent; ſiue vernacula lingua: Daß ſie euch nichts verdanken wollen, wenn es auch Kleinigkeiten in ihren Augen wären. Nam proprium eſt hominum ſuperborum, vt in rebus leuioribus, quas aliis debent, maximam affectent gratiarum actionem; cuius contra in iis rebus, quae maximi ad eorum ſalutem momenti ſunt, pudore impediti obliuiſcuntur. Sed plurimi, vel me non monente, nimis artificioſam habebunt hanc interpretationem, quare ad illorum potius ſententiam accedo, qui emendationem huius loci tentarunt. Primo igitur duplicem coniecturam Tanaquil Faber protulit. Senſus enim Liuii poſtulare ei videtur lectionem: *vt nihil pro iis, nec minimum quidem, debeant*, ſiue, quod ei magis arridet: *vt nihil populo Romano Quiritium debeant*. Deinde I. Fr. Gronouius, ſuo etiam ingenio obſecutus, ſuaſit: *vt nihil quaſi pro minimis debeant*. Porro Douiatius, ille Liuii editor in uſum Delphini, duplici medicina quoque hunc locum curare ſtuduit, ſiue legas: *vt nihil, ne vt pro minimis quidem, debeant*, ſiue vocibus: *maxima* et: *minimis* transpoſitis, refingas: *et ita minima ſunt adepturi, vt nihil, ne pro maximis quidem, debeant*. Denique etiam Drakenborchius ex ingenio duplicem propoſuit emendationem, ſiue: *vt nihil, ne minimum quidem, debeant*, ſiue: *vt nihil populo Romano, ne minimum quidem debeant*. Quodſi igitur Codicum lectio cum illis virorum doctorum lectionibus comparatur, proxime ad eam acceſſit, ideoque magis probabilis eſſe videtur Douiatii emendatio: *vt nihil, ne vt pro minimis quidem, debeant*. Sed alia adhuc emendatio in medium eſt profe-

renda, cuius primas lineas, rubrica a viro quodam docto ductas, in Liuii editione inueni, quam olim iam compactam Lipsiae in taberna libraria emeram. Haud dubie enim cum oratione contexta apte conuenit, vt vocula: *nihil*, reiecta, et verbo: *debeant* in illud: *habeant* mutato, legatur: *et ita maxima sunt adepturi, vt ne pro minimis quidem habeant.* Vocula: *nihil*, forte illi: *pro minimis* explicando inseruiebat, et deinde, vt multa eiusmodi interpretamenta, inter ipsa Liuii verba est male inserta. Vt autem vocabulum: *habere* particulam: *pro* adiunctam habeat, multa exempla in Liuio obuia confirmant. Vt: Liuii lib. I, cap. 40: *Anci filii duo etsi antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno tutoris fraude pulsos*, — sed plura Liuii loca, quae huc pertinent, ab interpretibus laudantur ad Liuii lib. VII, cap. 6, §. 7. Causa autem, cur illud: *habeant*, in falsam lectionem: *debeant*, transierit, ex antecedentibus est repetenda. Nam proxime antecesserant haec verba: *quid sequitur, nisi, vt ne beneficium quidem debeat populo* — Cum igitur de eadem re loqui pergeret atque similia verba: *ne quidem* repeterentur, facile etiam librarii negligentia: *debeant*, pro: *habeant*, male repeti et exscribi potuit.

In Liuii lib. VII, cap. XIX, statim initio legitur:

„*Duo bella eo anno prospere gesta: cum Tiburtibusque ad*
„*deditionem pugnatum.*

Quidam Codices pro illo: *cum Tiburtibusque*, exhibent: *cum Tiburtibus usque*; quod Drakenborchius propter sonum ingratum, quo haec efferuntur, recte reiecit. Sed melius forte legeretur: *Cum Tiburtibus quidem ad deditionem pugnatum.* Nam duo populi, a Romanis bello petiti, Tiburtes et Tarquinienses commemorantur, qui vero non eodem belli exitu sunt victi. Nam cum Tiburtibus tantum ad deditionem est pugnatum; in

Tar

Tarquinienſes vero, vt ſtatim adiicitur, acerbe ſaeuitum. Diſcrimen igitur victoriae mitis et ſaeuae ſtatim initio particula: *quidem* indicaretur. Quae etiam alibi, ſicut particula: *vero*, nominibus propriis ſolet in principiis adiungi. Librariorum vero incuria ſaepe particulam: *quidem* eſſe omiſſam, pluribus exemplis Drakenborch ad Liuii lib. XLIV, cap. 36, § 8, demonſtrauit; cuius quidem veſtigia hoc loco adhuc in copula adnexa: *que* ſupereſſent. Eadem vero particula: *que*, ſi hoc loco retinenda eſſet, ſtatim in ſequentibus: *Saſſula ex his urbs capta ceteraque oppida eandem fortunam habuiſſent* — minus eleganter repeteretur.

In Liuii lib. VIII, cap. XXXVIII, ubi pugna grauis inter Romanos et Samnites inita narratur, haec etiam deſcriptio eſt adiecta:

„*fremitus aequalis tenorque idem pugnae in defatigationem*
„*vltimam aut noctem ſpectabat*, —

Quia vero in antecedentibus legitur: *illo die ab hora diei tertia ad octauam ita inceps dicitur certamen ſtetiſſe, vt neque clamor — iteratus ſit* — et in ſequenti etiam capite affirmatur: *adeo repente laboris per diem pene totum tolerati vulnerumque obliti ſunt* — I. Fr. Gronouius non ferendum cenſet illud: *aut noctem ſpectabat*, ſed emendat: *ad noctem ſpectabatur*. Nulli tamen Codices a lectione recepta: *ſpectabat* recedunt. Praeterea vocabulum: *pectare*, quod ſaepius quidem cum praepoſitione: *ad* coniungitur, interdum tamen particulam: *in* quoque adiunctam habet. Vt: Cicero de Officiis lib. I, cap. 17: *proximi, liberi totaque domus, quae ſpectat in nos ſolos* — Plura auctorum loca ab interpretibus ad Liuii lib. XXVIII, cap. 17, § 5, laudantur. Quare legendum cenſeo: *tenorque idem pugnae in defatigationem vltimam et noctem ſpectabat.*

In Liuii lib. VIIII, cap. XVIII, Alexandri Magni res geſtae cum illis Romanorum comparantur, vt demonſtret ſcriptor hiſtoricus non minori felicitate atque virtute Romanos in bellis gerendis, quam illum Macedonum regem, adiutos fuiſſe. Pergit igitur his verbis:

„*Quin tu hominis cum homine, ducis cum duce, fortunam*
„*cum fortuna confers* —“

Miror, nullum interpretum, qui laudabilem Liuio emendando et exornando operam dederunt, in his verbis haeſiſſe, de quorum interpretatione, ſicut nunc edita ſunt, plane deſpero. Liuius quidem, vt ex ſequentibus ſatis apparet, variam ducum Romanorum conditionem, qui tamen proſpere rem geſſerint, cum illa Alexandri Magni comparare iubet. Alexandrum enim per totam vitam ſummi ducis dignitate gauiſum et infinito ſimul imperio ornatum fuiſſe, Romanorum vero duces plerumque poſt tempus ad bella iuiſſe et ante tempus comitiorum cauſa reuocatos eſſe, neminem vero plus quam annum geſſiſſe conſulatum, ab tribunis plebis delectus ſaepe impeditos eſſe, collegae nunc temeritatem, nunc prauitatem nociuiſſe, tironem eos interdum aut mala diſciplina inſtitutum accepiſſe exercitum, et quae ſunt alia. Ne igitur in noſtro loco Liuii verba ſenſu idoneo deſtituantur, inducenda ſunt illa: *cum fortuna*, et, tanquam librarii male ſeduli interpretamentum, plane reiicienda; quia Liuius in tanta ducum bellicorum felicitate ſimul ad diuerſam et periculoſam illorum conditionem, quae ſaepius longe inferior fuerit confirmata Alexandri potentia, reſpiciendum cenſuit. Neque etiam difficile eſt intellectu, unde adſutum fuerit illud: *cum fortuna*. Nam bis antecеſſerat: *cum homine*, *cum duce*, et praeterea etiam vocabulum: *fortuna*, ſaepius in verbis modo praemiſſis et in proxime ſequentibus repetitur.

In

In Liuii lib. X, cap. III, locus:

„*Itaque propter eos tumultus dictus M. Valerius Maximus*
„*dictator, magistrum equitum sibi legit M. Aemilium Paul-*
„*lum. id magis credo, quam Q. Fabium ea aetate atque*
„*eis honoribus Valerio subiectum. ceterum ex Maximi co-*
„*gnomine ortum errorem haud abnuerim.*

illis haud dubie adnumerandus est, in quibus humani quid passus sit Liuius neque omnem adhibuerit historici scriptoris diligentiam; quorum plura quidem a Iac. Perizonio in Animaduersionibus historicis, a Chr. Gottl. Joecher et Io. Henr. Parreidt in Dissert: De suspecta Liuii fide, et ab ipsis Liuii librorum interpretibus adnotantur. Carolus quidem Sigonius in commentario, ad Fastos Capitolinos conscripto, cum in hunc historiae Romanae locum incideret, in quo aperte Liuius a Capitolinis fragmentis dissentit, nullum aeque difficilem atque obscurum sibi visum esse affirmat atque eius ingenii acumini potissimum debemus, vt in tantis tenebris tamen aliquantum lucis affulgeat. Drakenborchius quidem in notis ad hunc locum opinatur, Liuium male duorum annorum res gestas in unum contulisse. Sed huius erroris quidem Liuium aperte accusare non ausim. Quamquam enim cap. 3 incipit cum verbis: *Eodem anno Romae cum Vestinis amicitiam petentibus ictum est foedus:* in verbis tamen sequentibus: *Multiplex deinde exortus terror*, particula: *deinde* aliud tempus indicare videtur, quam quod de eodem anno explicandum esset, cuius plurimae res gestae iam in cap. I et II tradebantur. Nam longe alius rei, quam quae in antecedentibus commemorata est, belli nimirum noui, cum Etruscis exorti, narrationem orditur. Sed Liuii error in eo inprimis apparet, quod illo anni tempore, quod quidem, vt Sigonius argumentis non contemnendis probauit, sine consulibus transigebatur, vnius tan-

tantum dictatoris, illius M. Valerii, mentionem iniecit, et vario annalium dissensu impeditus alterum dictatorem, Q. Fabium Maximum Rullianum, omisit, qui haud dubie prior illa dictatoris dignitate ornatus erat, sicut et fasti Capitolini et fasti Norisii, quorum vsus etiam Cuspiniano patebat, indicare videntur. Porro Liuius, cui, aliquid erroris suae narrationi inesse, subolebat, cum Fabium non dictatorem, sed magistrum equitum, illo tempore a quibusdam laudari diceret, in nouum incidit errorem illius commenti causam inquisiturus, vt Valerium Coruum illius anni dictatorem iter in dictum cum Valerio Maximo male confunderet; sicut ex aliorum scriptorum testimonio cognoscitur. Cuius quidem erroris committendi occasio erat eo facilior, quia vterque Valerius eodem Marci cognomine gaudebat, et vterque etiam in lapidibus *M. F. M. N.* Marci filius et Marci nepos appellatur. Valerius Coruus tamen tunc temporis iam longe pluribus Romae honoribus erat celebratus, et ipse Liuius cum in sequentibus consulatum eius quintum cap. 5 et 6, qui statim eius dictaturam excepit, commemoraret, semper illud cognomen: *Maximi* omisit, quod haud dubie etiam in annalibus ab ipso collatis deerat. Ex vestigiis denique lapidum Capitolinorum verisimile est, illum M. Aemilium Paullum, prioris ann consulem, non Valerio Coruo, sed potius illi Fabio Maximo magistri equitum dignitate fuisse adiunctum, cum contra Valerius Coruus sibi P. Sempronium Sophum, cuius consulatus a Liuio lib. IX, cap. 45, commemoratus in annum vrbis conditae CDXLIX inciderat, magistrum equitum creasse videatur. Tertius igitur error a Liuio commissus in eo cernitur, vt non solum alterius magistri equitum mentionem iniicere negligeret, sed illum etiam, qui Fabii erat collega, male adderet Valerio Coruo. Quoniam vero ille annus ab u. c. CDLII sine consulibus agebatur, sed duplici illa Fabii et Valerii dictatura insignis

ſignis erat, et demum in annum CDLIII Valerii Corui et Appuleii Panſae conſulatus incidebat, ſicut erudita diſquiſitione Sigoniüs in libro laudato demonſtrauit, merito etiam illi Conſulum Romanorum indici, quem idem Sigonius Liuii hiſtoriae adiecit, inſeri debuiſſet, vt ita hiſtoriae Romanae ſtudioſi ab illo Chronologiae errore in computandis conſulum annis conſpicuo ſibi cauerent, qui certe magni ad rerum poſtea geſtarum narrationem eſt momenti. Sed neque Sigonius, neque alii eruditi, eandem computandi rationem ſecuti, hunc duplicis dictaturae annum hiſtoriae Romanae inſeruerunt, vt ita ſubtilis illa Sigonii diſputatio, qua hiſtoriam Romanam egregie exornauit, in ſcriptis eius ſine magna lateret vtilitate.

In Liuii lib. XXI, cap. XXX, argumentum orationis adfertur, quam Hannibal ad Rhodani ripas habuerit, vt militum animos a metu periculi, quod Alpium transgreſſio minabatur, abſtraheret, et ad maius odium incitaret aduerſus Romanos terrarum imperium affectantes. In illa igitur oratione verba:

„*Romam, caput orbis terrarum, petentibus quidquam adeo*
„*aſperum atque arduum videri, quod inceptum moretur* —

multos interpretes tanquam minus decora atque tempori, de quo agat Hannibal, non conſentanea offenderunt. Nam Phil. Rubenius Electorum lib. I, cap. 25, propterea cenſet inepta eſſe haec verba, quia tunc temporis necdum Italiam quidem totam Romani expugnauerint, Gallis Ciſalpinis et Liguribus adhuc reſtantibus, et praeter Sardiniam et Siciliae partem non alia terrarum regione in illius populi poteſtatem redacta. Quamquam igitur Caſp. Barthius lib. XIV Aduerſariorum cap. 10 Liuii defenſionem contra Rubenium ſuſceperat, ipſe tamen Drakenborchius ſibi Barthium non perſuaſiſſe fatetur; quare etiam huius ſummi interpretis ſententia Liuius in noſtro loco taxandus videretur.

Attentum vero Liuii lectorem non latebit, maximam eius librorum laudem potissimum etiam in orationibus cerni, operi eius virorum clarorum nomine intextis. Quibus tanta non solum eloquentia inest, vt hac quidem parte cum quouis oratore et Graeco et Romano certare videatur, sed quae maximo etiam artificio cum temporum atque locorum ratione conueniunt, in quae inciderunt illae et quibus sunt habitae, atque a virorum, qui verba faciunt, moribus et cogitandi modo tam parum discrepant, vt ipsum Liuium aetate horum virorum vixisse et saepe rebus eorum gestis interfuisse arbitreris. Qua quidem eximia historici scriptoris laude Liuius tantopere praestat illis Latinorum poetis, Virgilio, Silio Italico aliisque, qui saepe tempora antiqua cum recentioribus male commiscuerunt, vt iure mirari debeas, cur in nostro loco iam Liuius a recepta dicendi consuetudine deflexerit atque ampullas sua aetate proiici solitas, ex ore Hannibalis, Romanorum hostis, contra deorum memoriam effinxerit. Liceat igitur post Barthium paucis suscipere Liuii causam, qui etiam in nostro loco optimas eloquentiae leges seruauit. Primum quidem concedam, Liuium in his verbis sua simul tempora respexisse, quibus omnes historici scriptores atque poetae Romam tanquam rerum dominam communi laude extollebant. Sed summo simul artificio illam suspicionem de futuro terrarum imperio, quod tum iam Romani adfectauerint, in Hannibalis, grauissimi illorum hostis, animo ortam esse fingit. Quis enim tam ineptam nostri loci interpretationem comminiscatur, vt Hannibal haec verba: *Romam caput orbis terrarum*, plane ita, vt efferuntur, ex Liuii sententia intellexerit, neque potius de vanorum illorum acceperit conatu, quo rerum inter omnes potiri gestiant? Tota autem Hannibalis oratio id spectat, vt militum animi ab omni metu liberati grauissimo Romanorum odio incendantur, ideoque partim victoriae in Hispania toties deportatae verbis

magnificis recordatur, partim impedimenta adhuc remouenda, qualia erant Alpium adſcenſus atque Romae expugnatio, tanquam leuiſſima et ſuperatu facillima proponit. Romae igitur mentione iniecta, odium Karthaginienſium, magna iam inuidia plenorum, aduerſus gentem tam ſuperbam excitat, quae, omnibus populis tandem debellatis, vrbem ſuam terrarum orbis caput fieri velit, ſicut antea iam militibus dixerat, eos Iberum traieciſſe ad delendum nomen Romanum *liberandumque orbem terrarum*. Sed ſtatim etiam in contemtionem adducit Romanos verbis proxime ſequentibus: *cepiſſe quondam Gallos ea, gentem per eos dies toties ab ſe victam*. Neque etiam linguae Latinae legibus repugnauit, vt Hannibal Romae, quae nondum caput orbis terrarum exſtiterat, hoc nomen iam imponeret. Sicut enim, vt hoc vtar, Cicero Catilinam, patriae peſtem nefarie molientem, multis locis etiam patriae peſtem appellauit: ita Hannibal etiam nimiam dominandi cupiditatem, qua Romani flagrabant, ſub illo complexus eſt nomine: *caput orbis terrarum*. Quid? quod adeo cum vi quadam ſingulari Romanorum conſilia, quae nondum euentum habuerant, in his verbis iam quaſi perfecta eſſe ſimulat. Quod quidem oratoris artificium propterea inprimis placet, quia, teſte Quinctiliano Inſtitt. Oratorr. lib. IX, cap. 2, *non ſolum quae facta ſint aut fiant, ſed etiam, quae futura ſint, aut futura fuerint, imaginamur*. Ceterum Rubenius etiam in ſua Liuii reprehenſione nimium coarctauit imperii Romani fines, quibus tunc temporis iam propagatum erat. Siue enim tempora, quae bellum Punicum I proxime anteceſſerunt, ſiue ipſum illud bellum ſiue denique annos viginti tres potiſſimum ſpectaueris, qui bellum primum et ſecundum intercedebant; omnia iam illis temporibus praeparata eſſe a Romanis videbantur, vt vbique terrarum gentibus a ſe deuictis leges imponerent, vtque finibus terrae ſuae parum contenti quam longiſſime diuinis ſuae termi-

nos promouerent. Nam ante bellum Punicum I Italia non ſolum, quae Graeciae Magnae nomen gerebat, tota Romanorum armis ceſſerat, ſed Pyrrhus etiam, fortiſſimus Epirotarum rex, re infecta ex Italia redire coactus et potentiſſimus Aegypti rex in amicitiam populi Romani receptus erat. Ipſo belli tempore Romani vires ſuas in arte nauali nondum exercitatas ita intenderunt, vt Karthaginienſibus maris imperium eriperent, quo hactenus potiſſimum praevaluerant, et iam in ipſas Africae regiones ſuas emitterent militum copias. Longe maiorem vero dominandi cupiditatem, bello iam finito, prae ſe ferebant, cum Karthaginienſes non ſolum tota Sicilia ſed omnibus etiam inſulis, inter Italiam et Africam ſitis, ceſſiſſent. Illarum enim poſſeſſionem ſibi non ſolum pedetentim arrogarunt, Sardinia inprimis, contra foederis cum Karthaginienſibus initi conditiones, ſuae ditioni adiecta, ſed Siciliam quoque totam, praeter paruum Hieronis, fideliſſimi Romanorum ſocii, regnum, in prouinciae formam redegerunt. In Gallia vero Cisalpina non Ligures ſolum, ſed reliquos etiam populos ad Alpes vsque habitantes, inprimis Claudio Marcello duce, deuicerunt, qui vir fortiſſimus adeo, vt faſti Capitolini referunt, tunc temporis iam de Germanis triumphaſſe dicitur. Vt vero in Graeciam quoque atque in finitimas eius regiones aditus eis pateret, Illyrium totum cum Iſtria et inſulas ad Illyrii littora ſitas expugnarunt, legatis ad Corinthios et Athenienſes miſſis, qui cum ipſis de foedere agerent ineundo. Quid? quod tunc temporis etiam legatos ad Ptolemaeum Euergetam, Aegypti regem, ire iuſſerunt, vt in eius ſocietate Antiocho Theo, Syriae regi, ſi diſſentire cum ipſo perrexiſſet, bellum inferrent. Qualia autem de Hiſpania expugnanda agitauerint conſilia, et ex foedere apparet, pace adhuc florente, cum Karthaginienſibus facto, ne illi cis Iberum flumen gererent bellum, et ex illa ſocietate, in quam Sagunti vrbem, trans Iberum

rum in Hiſpania ſitam, receperunt. Num igitur Hannibali aliisque Karthaginienſibus, de creſcente Romanorum potentia valde ſollicitis, adhuc dubitatio quaedam ineſſe potuit de conſiliis Romanorum ad imperii fines mirum quantum propagandos captis? Quare Hannibal, acerba ſimulatione in militum iratorum concione uſus, Romam, quam Gallorum exemplo expugnatum ibant, *caput terrarum orbis* appellat, et mirum Liuii artificium in eo cernitur, vt, quod omnes aetate ſua euentu comprobatum eſſe gloriabantur, illud iam fingeret Hannibalem, maximum Romanorum hoſtem, timuiſſe.

Plura quidem nunc Liuii loca adiicere, inſtituti ratio non patitur, ſed potius orationum mentio eſt iniicienda, quibus iuuenes quidam, qui Scholam Torgauienſem frequentarunt, induſtriae ſuae daturi ſunt ſpecimina

d. XVIIII. Martii:

I) Christianvs Gottlieb Gvilielmvs Fliesbach, *Torgauienſ.* aget oratione lat: *De boneſto vitae amore.*

II) Gottlieb Fredericvs Mviller, *Clebitio-Saxo*, carmine german: *De pacis ſtudio, hominibus tantum ſapientibus proprio.*

III) Carolvs Christianvs Heffter, *Schweinitio-Saxo*, latine: *De legum auctoritate, ipſarum argumentis innixa.*

IIII) Travgott Fredericvs Dvlce, *Torgauienſ.* carmine vernaculo; *De Dei potentia, impietatis vltrice.*

V) Ioannes Avgvstvs Gvinther, *Weydenhaynenſ.* latine: *De vitanda erroris miſeria.*

VI) Georgivs Avgvstvs Samvel Schroeer, *Zinnenſ.* oratione german: *De animi tranquillitate, non ex otio ſed ex praeclare factis quaerenda.*

d. XXII. Martii:

I) Christianvs Godofredvs Kvihne, *Lo[illegible]enſ.* latine: *De pudicitia, ornamento iuuentutis praecipuo.*

II) Ioannes Elias Palm, *Torgauienſ.* carmine germanico: *De virtutis hilaritate.*

III) Carolvs Christianvs Fredericvs Siegel, *Mariaebergenſ.* latine: *De honeſta morum ſeueritate.*

IIII) Fredericvs Gottlob Strevbel, *Graefenhayna-Saxo*, oratione vernacula: *De cautione, ad ſocietatem cum aliis ineundam neceſſaria.*

V) Ioannes Gotthelf Frevnd, *ex Rubri Bouis boſpitio ad Albim ſito*, latine: *De eloquentia, ex animi integritate orta.*

VI) Ioannes Carolvs Iosephvs Mviller, *Olganitienſ.* germanice: *De animi grati officio*, qui ſimul eadem ratione, qua die priori verba vltimo loco facturus, iuuenes in Academiam diſceſſuros Commilitonum nomine valere iubebit.

Gra-

Gratum vero et honorificum erit Lyceo Torgauienſi, ſi hanc eius ſollemnitatem attentione atque praeſentia ſua non indignam cenſebunt, quicunque iuuentutis fauent educationi atque adhuc veram ex diſcendis literarum artibus vtilitatem redundare arbitrantur. Quo conſilio inprimis ad iuueniles illas orationes beniuole audiendas ANTISTITEM SACRORVM SVMME VENERABILEM, SENATVM CIVITATIS AMPLISSIMVM, MINISTROS SACRORVM PLVRIMVM REVERENDOS et MAGISTROS SCHOLAE TORGAVIENSIS CLARISSIMOS omni, qua decet, obſeruantia inuito.

Scripſi Torgauiae, d. XX Februarii, A. cIↃIↃCCLXXXXVIIII.

END OF TITLE